

ut in Geometria nostra docuimus. Attamen propositio hæc qualiscunque sit, ad re-
ctas irrationales nihil admodum attinet: possunt enim diameter & costa, rationales
esse & potentia symmetra, & post 5 p 10 protinus potuit ista propositio demõstra-
ri. Ad finem verò libri totius Theon admonet de generali elencho libri universi,
quòd asymmetria longitudinis non sit propria rectorum, sed communis magnitu-
dinum. Nam ut duarum rectorum prima est ad secundam, sic est retilineum com-
paratum primæ ad retilineum comparatum proportionali inter utramque simile
similiterque situm per 20 p 6. item. Circuli sunt inter se ut à diametris quadrata per
2 p 12. item in solidis. Nam pyramides, prismata, coni, cylindri in eadem altitudine
sunt inter se ut bases, ut patet é 29. 30. 31. 32 p 11: 5. 6. 11 p 12. Itaque si bases sint
symmetra, corpora ipsa symmetra erunt: secus asymmetra. Quamobrem decimus
liber centum & quindecim propositionibus elenchum admirabilem continuavit.

LIBRI XXIII. FINIS.

P E T R I R A M I S C H O -
L A R V M M A T H E M A T I C A R V M L I B .
XXIV. DE NUMERATIONE RATIO-
*nalium & irrationalium re-
ctarum.*



AMETS I decimus elementorum liber studiosè nobis expositus
est, attamen veriti ne tanta obscuritas novitiis & rudibus satis aper-
ta esset, constituimus totam libri materiam de lineis irrationalibus
nostra ratione atque via tanquam artem aliquam deducere: ut a-
pertissimè planissimèque laboriosissimi operis laboriosissima quo-
que vanitas intelligatur. Cogitaveram primò in his cauernis thesaurum sapientiæ
quendam reconditum esse: sed rebus omnibus effossis palamque prolatis & princi-
piorum nostrorum igne lentius & fastidiosius probatis animadverti, nullum in his
acuminibus irrationalium linearum usum in ulla humanitatis parte unquam versa-
tum esse. Quod non dubito quin plerisque novum & insolens esse videatur: sed res
ipsa penitus perspecta & animadversa fidem affirmationi nostræ faciet. Itaque pro
demonstratione tanti paradoxo, totius libri quàm clarissima fieri poterit & ex alge-
breis etiam subtilitatibus repetita expositio nobis erit, in eoque vicesimus quartus
& quintus scholarum mathematicarum libri consumètur. Ergo tanquam techno-
logia quædam hic attendatur.

Ratio rectorum in quadrato & oblongo complectitur numerationem & descri-
ptionem rectorum irrationalium: numeratio verò sui generis hic quædam est, pri-
mò communis rationalium & irrationalium, deinde propria irrationalium.

Numera-